

Dissertationem metaphysicam de possibilitate creationis mundi ab aeterno, methodo mathematicorum conscriptam ... / defendet C.F. Kappelier.

Contributors

Kappelier, Christian Friedrich.
Darjes, Joachim Georg, 1714-1791.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jena : Buch, 1735.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cgd73fue>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONEM METAPHYSICAM
 DE
**POSSIBILITATE CREA-
 TIONIS MVNDI AB
 AETERNO.**

METHODO

**MATHEMATICORVM
 CONSCRIPTAM**

DEO OPITVLANTE
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO
 DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM
 ANGARIAE, WESTPHALIAE RELIQA

PATRIAE, PATRE CLEMENTISSIMO

I N

ILLVSTRI ACADEMIA SALANA
 AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
 ORDINE CONSENTIENTE

PRAESIDE

M. IOACHIMO GEORGIO DARJES

GVSTROA-MEGAPOLITANO

DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS KAPPELIER

BEROLINENSIS, S. THEOL. ET PHILOS. STVD.

IENAE, D. XXVI. FEBRVAR. M DCC XXXV.

LITTERIS BUCHIANIS,

58700(5)



V I R O
MAXIME REVERENDO NEC NON
DOCTISSIMO DOMINO

D O M I N O

J O A C H I M O D A R J E S

PHILOSOPHIAE MAGISTRO DIGNISSIMO
ET ECCLESIAE PAROCHIALIS GVSTRO-
VIENSIS PASTORI FIDELISSIMO

P A T R I S V O

OMNI FILIALI CVLTV OBSERVANTIAQVE COLENDO
A Q PROSEQVENDO

*Hasce Cathedrae superioris Philosophiae primitias
tanquam grati animi et filialis observantiae
perpetuae τεκμήσιον*

DAT, DICAT, CONSECRAT

MAXIME REVERENDI VIRI

O B E D I E N T I S S I M V S F I L I V S

M. JOACHIM GEORG DARJES.

О Я И В

БОИ ЗАЩИЩАЮЩИЕ НАХАМ
СЛАВЫ ОСМАНСКОГО

ОИЛНОД

САЛЯКСОМНОАО

ОМІЗІОНІ СЛЯСТАМ ЗАІНІОЗІЛІНІ
ОЛІДІ СЛЯСТАМ ЗАІНІОЗІЛІНІ
ОМІЗІОНІ СЛЯСТАМ ЗАІНІОЗІЛІНІ

ОУС ТЯГАЧ

САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО
САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО

САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО
САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО
САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО

САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО

САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО

САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО

САЛЯКСОМНОАО САЛЯКСОМНОАО

σύ τῷ θεῷ ἀγαθῷ

PRAEFAMEN LECTORI BENEVOLO

S. P.

TAmetsi multi disputant de æternitate mundi, non tamen explicatio, quid per æternitatem mundi intelligendum, convenit inter Philosophos.

Sunt qui æternitatem mundi ita explicant, ut mundus a nulla dependeat causa, sed sit necessarius, immutabilis, a se, origo atque fons omnium rerum, omnia conservans, & minime a Deo distinguendus, sed ipse Deus; in qualem adducitur opinionem **OCELLVS LVCANVS** in *Libr. de Natura universi cap. I. text. 8. p. 51 seq.* expresse loquens: ὃ δὲ γε κόσμος αὐτοῖς ἐσι τοῖς ἄλλοις καὶ τῇ εἶναι καὶ τῇ σόζεσθαι καὶ τῇ αὐτοίελῃ εἶναι. Αὐτὸς ἀρέσει εἰς εαυτὴν αὐτοῖς ἐσι, καὶ αὐτοίελης, καὶ διαμένων τὸν πάντα αἰώνα, καὶ δι αὐτὸ τῷτο τοῖς ἄλλοις παραίτιος γινόμενος τῆς διαμενῆς τῶν ὅλων. Eadem fuisse mente Stoicos, testes habeo **CELEB. WALCHIVM** in *Lex Philos. tit. Welt p. m. 2867.* **BVDDEVVM** *Hist. Philos. p. 59.* **IAC. THOMASIVM** *de Exustione mundi Stoica Diff. XIV. sub Tit. Stoius Deus mundi forma informans* §. 1. p. 177. coll. *Diff. II. de quatuor Græcorum sectis præcipuis* §. 12. p. 31.

Alii quidem adhibent realem Differentiam inter Deum & mundum, ita ut Deus non sit mundus & mundus non Deus; at mundum a Deo esse creatum, eunt inficias. Quo sensu fuisse **ARISTOTELEM** *Tom. I. Opp. fol. 639. edit. Duvallii,* **TAVRELLVS** *de reram æternitate p. 78.* & **BVDDEVVS** *im Bedencken über die Wolffische Philos. p. 65.* affirmant. Ast non est inficiandum, quod adhuc posset in dubium vocari, an Aristoteles statuerit mundum creatum, utrum increatum.

P R A E F A T I O.

AMELIVM & alios æternitatem mundi ita determinasse, ut mundos a& tu a Deo sit ab æterno creatus, & æternam habeat durationem, testatur EVSEBIUS *Prepar. Evangel.* Lib. XI. c. IX. & PLATO *Enneadēn.* Lib. I. c. 1., qui l. c. ipsa verba Amelii, ita sese habentia, allegat; τὸν κόσμον ἀεὶ λέγοντες, καὶ πρόθεν εἴναι, καὶ ἔσθαι σῶμα εἶχοντα, εἰ μὲν ἐπὶ τὴν τᾶς θεᾶς βέλησιν αναγομέν τὴν αὐτιὰν πρώτου μὲν αἰλῆθες, μὲν δὲ ἵσως λέγοιμεν. Multi quidem Philosophorum ipsi Platoni hanc volunt tribuere sententiam, ast BUDDEVS in *Hist. Eccles.* Tom. II p. 1067. coll. *Thes. de Ath. & Superst.* c. 1. §. XIII. p. 31. maxima cum ratione illum ab hoc liberari docet.

A quibusdam terminus *æternitas* in applicatione ad mundum minus stricte assumitur, sc. pro tempore cujus initium non determinandum, mundum esse ab æterno ita explicantes. Mundus a Deo est creatus ab æterno i. e. in tempore cuius initium non possumus perspicere; id est quod foveat KOECHERV^S *Disp. de æternitate mundi* §. XIII. & ipse PLATO vid. *Timæum* fol. 1051. edit. Marsili Ficini.

Tandem plerique Scholasticorum & Philosophorum hodier. conf. SWAREZIVM in *Disp. Metaph.* XX. *Sect. VI.* IAC. MARTINVM in *Metaph.* Lib. I. CHRIST. SCHEIBLERVM in *Metaph.* Lib. II. c. III. punct. VI. p. 115. PAVL. SLEVOGTVM in *Disp. de Creatione in genere,* in *Fasc. Disp. theor.* XIX. §. IX, & plures §. 74. Diss. nost. allegatos, hanc defendunt sententiam: quod æternitas mundi sit possibilis, & si voluntati div. fuisset conveniens, Deus illum etiam ab æterno, (ubi terminus *æternum* in sensu propriissimo sumendus), potuerit creare.

Nos in præsens, primo, secundo, tertio ac quarto relictis cum Deo hoc sumus astuti, ut possibilitatem creationis mundi ab æterno defendamus. Cum autem nulla alia me ad præsentem materiam ventilandam permovit causa, quam veritatis, quæ ut ubique, ita in studio quoque Philosophico gratissimum animi pabulum est, inquisitio, eiusdemque constans assertio & defensio; etiam minime erit prohibitum improbare, & prægantibus rationibus modele impugnare erroneam sententiam partis adversæ. Nam ab causam etiam obiectiones aliorum, & præcipue fundamentum Demonstrationis VIRI CLARISSIMI PHILIPPI Prof. Hallens. contra possibilem mundi æternitatem sum reiecturus. Vale. Jenæ d. XXVI. Februarii MDCCXXXV.



DE
POSSIBILITATE CREATIONIS
MVNDI AB AETERNO DISSER-
TATIO METAPHYSICA.



AXIOMA I.

§. 1.

Mpossibile est idem simul esse & non esse.

DEFINITIO I.

§. 2. Ut *Existentia* ille vocatur status, quo possibile est aptum ad aliquid, agendum vel patiendum; ita *Non-Existentia* est ille status, quo possibile non est aptum, ad aliquid agendum vel patiendum.

AXIOMA II.

§. 3. Quicquid non existit non est aptum ad aliquid agendum vel patiendum, vel nec agere nec pati potest (§. 2.).

DEFINITIO II.

§. 4. Quicquid habet non-existentiam, est quod vocamus *non-ens*.

COROL-

COROLLARIVM.

§. 5. Non - ens igitur nec aliquid agere nec pati valet (§. 3.4.).

DEFINITIO III.

§. 6. *Prædicata positiva* appellantur, quæ vel actiones vel passiones quasdem subiecti indicant.

AXIOMA III.

§. 7. Quicquid nec actiones nec passiones potest in medium proferre, illi non competunt *prædicata positiva* (§. 6.).

COROLLARIVM.

§. 8. Quia non - ens nec actiones nec passiones quasdam potest producere (§. 5.), non - enti nulla sunt *prædicata positiva* (§. 7.).

DEFINITIO IV.

§. 9. *Nihilum negativum* appellamus, quod non actu existit, nec existere potest, & *Nihilum privativum*, quod quidem non actu existit, attamen possibile est, ut existat.

COROLLARIVM I.

§. 10. Quia in genere omne id, quod existere potest, dicitur possibile, & quicquid non existere potest, impossibile (§. 1. & princip. Metaph.). *Nihilum negativum* recte impossibile & *privativum* possibile quid est dicendum (§. 9.).

COROLLARIVM II.

§. 11. Dum autem tam nihilum negativum quam *privativum* non existunt (§. 9.), tam nihilum negativum quam *privativum* sunt non - entia (§. 4.).

COROLLARIVM III.

§. 12. E nec nihilo negativo nec privativo competunt *prædicata positiva* (§. 8. 11.).

THEO-

THEOREMA I.

§. 13. Nec a nihilo negativo nec a privativo potest aliquid fieri.

DEMONSTRATIO.

Si ab aliquo aliquid fit, fit tantum per τὸ agere (quod ex terminis patet), τὸ agere autem pertinet etiam ad prædicata positiva (§. 6.); ast nec nihilo negativo nec privativo competit prædicata positiva (§. 12.). E. nec nihil m privativum nec negativum potest agere. E. nec a nihilo negativo nec a privativo potest aliquid fieri.

DEFINITIO V.

§. 14. Rationem vocamus id, ex quo possit cognosci, cur sit alterum; & quidem sufficientem, quando ratio adiecta ita se habet, ut posita illa nihil amplius neque immediate neque mediate ad ens requiratur, ut queat intelligi, cur res se ita habeat sive in qua potest sibi quæstio: cur res sit ita nec aliæ.

THEOREMA II.

§. 15. Nihil fit fine ratione sufficiente.

DEMONSTRATIO.

Dum nec a nihilo negativo nec privativo potest aliquid fieri (§ 13.), sequitur ubi aliquid fit, ibi adesse debet aliquid ex quo possit cognosci cursit, (quod patet ex terminis) id autem dicitur ratio (§. 14.). E. nihil fit fine ratione, quod erat primum.

Cum autem nihil possit fieri fine ratione (permodic.), sequitur, quod ne punctum quidem aliquod fieri possit fine ratione (§. 1.); talis autem ratio, ex qua puncta sive infima quoque entis possunt cognosci, cur

hoc ens ita se habeat dicitur ratio sufficiens (§. 14.). E. nihil fit sine ratione sufficiente, quod erat secundum.

SCHOLION. I.

§. 16. Principium rationis sufficientis in dubium vocantes in duas merito possunt dispesci classes, quarum prima illud quidem negare videtur, licet si rem distincte cognoscimus, principium hoc non negent, sed tantummodo illius illegitimam immo apertissime falsam explicationem concedentes: quod, vbi aliquid fit ibi aliquid adesse debeat, ex quo possit cognosci, cur res sit. Talis explicatio est verus legitimus atque maxime genuinus principii rationis sufficientis, quo etiam in nostra Dissertatione utimur, sensus. Si quis autem querat: an hoc principium rationis sufficientis determinet, i. e. an hoc principium efficiat, ut posita ratione sufficiente de aliquo etiam necessario actu ponendum sit hoc, cuius ratio sufficiens animadvertisit? Tunc negant atque pernegant, et maxima quidem ratione, quia talis illegitimus principii rat. suffic. sensus est contra omnem experientiam.

SCHOLION. II.

§. 17. Qui ad secundam classem statuunt, hoc principium idem esse, ac principium: nihil fit sine causa. Ast licet hoc concedere possumus, quando tantum de contingentibus est sermo; tunc tamen negatur, quando de ente in genere loquimur. Nam hoc quidem verum est: quicquid habet sui causam, id etiam habet rationem sui sufficientem; sed minime vice versa potest concludi: Quicquid habet sui rationem sufficientem, id etiam habet sui causam, quia instantia datur a Deo sumenda. Deus habet quidem rationem sui sufficientem, nam absolute sua necessitas est id, in quo potest sisti questio: cur Deus sit ita nec aliter; minime autem dici potest: Deum habere causam sui, quia causa est id, quod in se continet rationem existentiae alterius. Sequitur igitur, quod principium rat. suffic sit principium universale i. e. tam de contingentibus quam absolute necessario valens.

DEFINITIO VI.

§. 18. Entia quorum quodlibet habet rationem
de

de aliquo, quod in ipso est, in altero, sunt quæ *relata* vocantur.

THEOREMA. III.

§. 19. Posito uno relato ponendum etiam est alterum.

DEMONSTRATIO.

Quando duo dantur relata. e. g. A, & B, A habet rationem de aliquo, quod in ipso est, in B, & B habet rationem de aliquo, quod in ipso est, in A. (§. 18.) Quia autem nihil fit sine ratione sufficiente (§. 15.) etiam non fieri potest, ut unum adsit relatum, ubi non simul alterum, sc. ut A adsit ubi non B. & vice versa. Nam si A possit adesse & non B, & tamen A, propter relationem, habeat rationem de aliquo, quod in ipso est, in B, non adesset ratio sufficiens hujus relationis (§. 14.) Posito igitur τῷ A, ponendum etiam est τῷ B, i. e. posito uno relato ponendum etiam est alterum. Vel ita:

Vbi adsunt duo relata A & B, vt A rationem de aliquo, quod in ipso est, in B, & vice versa, habeat, necessarium est (§. 18.). Nonc talis relatio est orta, vel per actionem, vel per passionem quandam (alius enim modus non est possibilis per princip. Metaph.); non-ens autem sive non-existens nec potest agere nec pati (§. 5.), E. A & B debent esse existentia (§. 1.), (sc. in illo temporis puncto, in quo relatio inter hæc accipit initium;) remota vero existentia unius relatorum A sive B, renovenda etiam est relatio (§. 5. 7.). E. si maneat relatio inter A & B, ponenda est existentia τῷ A, quando ponitur existentia τῷ B & vice versa. E. posito uno relato ponendum etiam est alterum.

DEFINITIO VII.

§. 20. *Principium est, quod in se continet rationem alterius sc. principiati; Principiatum autem appellamus, quod rationem sui habet in altero scil. in principio suo.*

AXIOMA IV.

§. 21. *Principium habet rationem sui cur sit principium in principiato & principiatum rationem sui cur sit principiatum continet in principio suo (§. 20.)*

COROLLARIVM I.

§. 22. *Principium et principiatum igitur sunt rellata (§. 18. 21.)*

COROLLARIVM II.

§. 23. *Posito igitur principio ponendum etiam est principiatum, et posito principiato ponendum est principium (§. 22. 19.)*

DEFINITIO VIII.

§. 24. *Quicquid nec initium nec finem habet dicitur eternum, & quidem fixum, quando etiam in duratione nullæ adsunt successiones, successivum, quando adsunt,*

SCHOLION.

§. 25. *Erravit igitur VIR CLARISSIMVS PHILIPPI Profess. Hallens. dum in tractatu sub Tit. Mathematischer versuch von der unmöglichkeit einer ewigen Welt §. 18. erumpit: Es giebt nur eine einzige art wie ein Wesen kan ewig seyn, und ein ewiges Wesen genannt werden. Hoc quidem nemo negare potest, quod omnes species r̃s eterni debeant convenire in hoc generali, quod nec initium nec finem habeant, Et idem est quod n. i. demonstravit, hoc enim, quod eternum nec initium nec finem debent habere, est tantum conceptus*

ceptus de genere aeternitatis sive de aeterno a speciebus suis abstracto. Minime autem inde sequitur; quia omnes species cuiusdam generis conceptum generis habent communem, E. datur tantum una species, alias si assertum suum vult probare non potest concludere. Nam aeternitas fixa & successiva sunt species de aeternitate in genere. Ast si hoc licitum, possum etiam ita concludere: quia ut omnes homines conueniant in conceptu generali de homine, sc. quod habeat conjunctionem corporis organici cum anima rationali, est necessario. E una tantum species & individuum hominis est conceptibilis. E unus tantum adest homo, quod autem absurdum. Falsitate autem primae propositionis huius Sphi citati ostensa; Omnes reliquæ ex hac derivatae tolluntur.

COROLLARIVM.

§. 26. Quia existentia unius relatorum simul involvit existentiam alterius (§. 19.), (sc. dum oritur relatio), sequitur, si unum relatorum sit ab aeterno, etiam alterum debeat esse ab aeterno, & si principium sit ab aeterno idem etiam de principio valeat, & vice versa (§. 23.).

DEFINITIO IX.

§. 27. Ut *Essentia* (si abstrahas ab actualitate) est primus *Concepsis* de ente, qui in se continet rationem, cur attributa actu iniunt, & accidentia inesse possunt; ita *Attributa* dicuntur, quæ rationem actualitatis suæ habent in essentia.

AXIOMA V.

§. 28. *Essentia* habet rationem existentiaz attributorum in se. & attributa habent rationem actualitatis suæ in essentia (§. 27.).

COROLLARIVM I.

§. 29. *Essentia* igitur est principium attributorum, & attributa sunt principiata *Essentiæ* (§. 28. 20.). *Essentia* & attributa sunt relata (§. 22.), & posita *essentia* ponenda etiam sunt attributa, sc. ex *essentia* tali fluentia & vice versa (§. 23.); si igitur *essentia* sit æterna, ut attributa etiam sint æternæ, necesse est, & vice versa (§. 26.).

COROLLARIVM II.

§. 30. Si quis igitur ab æterno habeat *essentiam*, causa subest, quare ab æterno etiam in se continet attributa, quæ ex *essentia* illa possunt legitime derivari (§. 29. fin.).

DEFINITIO X.

§. 31. *Essentiam*, (si abstrahas a possibiliitate, tantum attendens ad actualitatem) vocamus id, per quod ens in esse sive in existere suo constituitur.

AXIOMA VI.

§. 32. Quicunque habet id, per quod in τῷ existere suo constituitur, ille habet *essentiam* (§. 31.).

THEOREMA IV.

§. 33. Quicquid existit, id etiam *essentiam* habere, necesse est.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Quicunque habet id, per quod in $\tau\omega$ existere suo constituitur, ille habet essentiam (§. 32.). id autem per quod ens in $\tau\omega$ existere suo constituitur, est nihil aliud, quam status ille, per quam reddatur aptum, ad aliquid agendum vel patiendum, quamdiu enim hic status non adest, tamdiu ens non existit (per Exper.), talis antem status dicitur existentia (§. 2.). E quicquid habet existentiam, ut etiam habeat essentiam, est necesse.

COROLLARIVM.

§. 34. Ens igitur sine essentia existens non est conceptibile (§. 33.). E. qui ab æterno existit ab æterno etiam debet habere essentiam. Nam si ab æterno existens ab æterno non habeat essentiam, saltem punctum aliquod possit concipi, in quo ens existens existat sine essentia, quod tamen falsum (per mod. dic.).

AXIOMA VII.

§. 35. Deus habet ab æterno suam existentiam, sive ab æterno existit (per Theol. Nat.).

COROLLARIVM I.

§. 36. Quin igitur Deus ab æterno habeat essentiam suam, minime est dubium (§. 34. 35.).

COROLLARIVM II.

§. 37. Dum is, qui ab æterno habet essentiam, etiam ab æterno necessario in se contineat attributa, ex essentia

essentia sua fluentia (§. 30.), in Deo etiam ne infimum quidem punctum durationis potest concipi, attributis ex essentia sua fluentibus vacuum (§. 36.).

DEFINITIO XI.

§. 38. Facultas omne possibile existens reddendi, nomine gaudet *omnipotentia*.

AXIOMA VIII.

§. 39. Quicunque possidet omnipotentiam, ille necessario etiam habeat facultatem omne possibile existens reddendi (§. 38.).

AXIOMA IX.

§. 40. Omnipotentia est attributum ex sola Dei essentia fluens (per Theol. Nat.).

COROLLARIVM I.

§. 41. Quia Deus omnia attributa ex essentia sua legitime derivata habet ab æterno (§. 37.), quin Deus etiam omnipotentiam in se ab æterno continuerit, nemo potest in dubium vocare (§. 40.).

COROLLARIVM II.

§. 42. Deo igitur ab æterno fuit facultas omne possibile existens reddendi (§. 41. 39.). E. etiam ab æterno potuit omne possibile reddere existens (§. 1.).

DEFINITIO XII.

§. 43. Ut *creare* in sensu proprio idem est, ac nihil tam ratione formæ quam materiae privativum reddere existens; ita ab aeterno *creare* dicitur, quando hoc existens reddere fit sine initio.

SCHOLION.

§. 44. *Quidam Philosophorum notionem de Creatione quidem in hoc constituant, quod sit actio Dei transiens, qua ipse, bonitate sua motus, per omnipotentiam suam entra se omnia entia finita, materialia & immaterialia, ex nihilo in tempore sapientissimo modo produxit.* Deficit autem talis Definitio ab principiis Logicis, nam per illa in Definitione nihil aliud est accipiendum, quam quæ possunt Definitionem reddere ut principium indubium; E. in Definitione non sunt adhuc demonstranda adhibenda. Multa autem in allegata Definitione non sine Demonstratione possunt assumi; quæ ex parte quidem possunt, ex parte autem non possunt ex ratione demonstrari. *Quia igitur talia adhuc sunt demonstranda, non pertinent ad veram & genuinam Definitionem de creatione.* Præterea non est celandum, hanc Definitionem peccare contra regulam: Definitio non debet constare notionibus abundantibus. Inter alias etiam Definitio PHILIPPI l. c. p. 61. de τῷ creare allegata: Schaffen ist in eigentlichen Verstande so viel, als machen, dass etwas, so vorhin nicht war, nunmehr anfange zu seyn; est contra usum loquendi, quia propter hanc Definitionem etiam hanc Dissertationem creavi, & quando Mathematicus constituit Triangulum, tunc triangulum ante non existentem reddidit existentem, E. ex mente PHILIPPI creavit triangulum, quod est absurdum, & contra usum loquendi. Creatio enim per princip. Theol. Nat. debet esse actio soli Deo propria, sc. creatio in sensu proprio non metaphorico sive improposito conf. §. 43.

THEOREMA V.

§. 45. Deus potuit ab aeterno creare.

C

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Quia Deo ab aeterno fuit potestas omne possibile existens reddendi (§. 42.) nihilum privativum autem est aliquid possibile (§. 10.) Deus etiam potuit nihilum privativum ab aeterno existens reddere. Dum autem id, quod tam ratione materiae quam formae est nihilum privativum, est etiam nihilum privativum simpliciter tale (§. 1. 9.) Deus etiam potuit nihilum privativum tam ratione formae quam materiae tale existens reddere, id quod dicitur creare (§. 43.), & quia ne punctum quidem initii est concipiendum, in quo Deus non habuit ~~talium facultatem~~ (§. 42. 41.), sine initio etiam Deus tale nihilum privativum existens reddere valuit, quod est creare ab aeterno (§. 43.) E. Deus etiam ab aeterno tenuit facultatem creandi, sive ab aeterno potuit creare.

DEFINITIO XIII.

§. 46. *Ens quod aliter esse potest, dicitur contingens; quicquid autem non potest aliter esse, absolute necessarium.*

COROLLARIUM.

§. 47. Contingens igitur non potest esse absolute necessarium, nec absolute necessarium contingens (§. 46. 1.).

DEFINITIO XIV.

§. 48. *Ens quod rationem existentiae suæ habet in se*

se ipso sive in essentia sua, i. e. quod nullam prorsus sui habet causam, est quod appellatur *ens a se*.

AXIOMA X.

§. 49. Quicquid a se est id in se sive in essentia sua debet habere rationem existentiæ suæ; quicquid autem non a se existit, id rationem existentiæ suæ non habet in se ipso, sive in essentia sua (§. 48.).

AXIOMA XI.

§. 50. Quicquid a se existit, sive *ens a se*, existit absolute necessario, & est absolute necessarium; & quicquid est absolute necessarium, id existit a se, sive est *ens a se* (per princip. Ontol.).

COROLLARIVM I.

§. 51. Dum quicquid non est a se, rationem existentiæ suæ non in se ipso habet (§. 49.), sequitur, quod id, quod non est absolute necessarium, etiam rationem existentiæ suæ non contineat in se ipso sive in essentia sua (§. 50.).

COROLLARIVM II.

§. 52. Ens contingens igitur rationem existentiæ suæ non habet in se ipso, sive in essentia sua (§. 51. 47.). E. nec de & a se ipso potest existere (§. 15.), licet existere potest, si adhibetur causa, illud ad existentiam producens.

THEOREMA VI.

§. 53. Quicquid quidem existere potest, sed non de & a se ipso, id in se spectatum est nihilum privativum.

DEMONSTRATIO.

Dum a non - posse ad non - esse valet consequentia (per princip. Metaph.), sequitur, quod, quicquid de & a se ipso (sc. in abstractione a causa) non possit existere, id quoque de & a se ipso non existat. Quicquid possibile autem non rationem existentiaz suaz habet, id est nihilum privativum (§. 9. 15.), & quicquid de & a se ipso non potest existere, id etiam de & a se ipso sive in se, sc. in essentia sua non habet rationem existentiaz (§. 1.). E. quicquid possibile de & a se ipso non potest existere, id in se spectatum, i. e. si attendas ad essentiam eius, est nihilum privativum.

COROLLARIUM.

§. 54. Quia igitur omne contingens possibile de & a se ipso non potest existere (§. 52.), omne contingens possibile in se spectatum, sc. respectu essentiaz suaz, est nihilum privativum (§. 53.).

DEFINITIO XV.

§. 55. *Mundus* est congeries omnium simultaneorum & successivorum mutabilium inter se connexorum, sc. ut causarum naturalium & causatorum.

AXIO-

AXIOMA XII.

§. 56. Mundus est ens contingens (per princip. Cosmol.).

COROLLARIUM.

§. 57 Mundus igitur in se sc. in essentia sua spectatus (sc. si abstrahas a causa & eius existentia) est nihilum privativum (§. 56. 54.), E. est aliquid possibile (§. 10.).

THEOREMA VII.

§. 58. Deus ab æterno habuit facultatem mundum creandi , sive ab æterno potuit mundum creare.

DEMONSTRATIO.

Quia Deo fuit poteris ab æterno creandi (§. 45.), etiam ab æterno nihilum privativum tam ratione formæ quam materiæ tale valuit existens reddere (§. 43.). Dum autem mundus in se sc. in essentia sua spectatus est nihilum privativum (§. 57.) & quidem tam ratione materiæ quam ratione formæ tale, quia ante eius existentiam nihil fuit (per princip. Theol. Nat.), Deus etiam ab æterno potuit mundum existentem reddere. E. & illum ab æterno creare (§. 43.). Vel ita:

Deus potuit ab æterno omne possibile existens reddere (§. 42.), E. & mundum (§. 57.). Omne nihilum privativum autem est possibile quid (§. 10.). E.

etiam ab æterno potuit nihil tam ratione formæ quam materiæ privativum existens reddere, quod dicitur creare (§. 43.), E. etiam ab æterno cum illo fuit coniuncta facultas mundum creandi (§. 57.). E. potuit illum ab æterno creare.

SCHOLION. I.

§. 59. Multi Philosophorum possibilem mundi eternitatem negantes, hoc concedunt theorema, quod Deus potuerit ab æterno mundum creare. Sic enim quidam Scholasticorum aiunt. Deum ab æterno potuisse creare mundum h. e. potentiam creandi mundum ab æterno in Deo fuisse, nemo iverit inficias. Ast Deum potuisse mundum ab æterno creare i. e. fieri potuisse, ut mundus a Deo ab æterno produceretur, negatur. Et ATHANASIVS Oratione secunda contra Arianos Tom. I. Oper. p. 337. idem affirmit, quia huic deditus est sententia, quod quicquid creatum beat habere initium; quod etiam fovet PHILIPPI l. c. §. 41. Omnes autem vivunt in falsis notionibus de τῷ creare §. 44. allegatis; ex falso autem fundamento veræ non possunt derivari conclusiones. Quod autem contradictionum quid sit, affirmare; Deum potuisse creare ab æterno mundum, & tamen negare: mundum non potuisse creari ab æterno, ex sequentibus satis clare patebit. Idem enim est ac si dico: ego habeo facultatem scribendi & possum scribere, ast nihil est quod potest scribi; quod absurdum

SCHOLION. II.

§. 60. Male sane etiam PHILIPPI l. c. §. 40. explicat huius Theorematis sensum contra intentionem possibiliter eternitatis mundi concedentium, dum illum ita determinat: Deus potuit ab æterno mundum creare idem est, ac Deus potuit multo ante tempus creationis in revelatione indicatum mundum creare. Minime enim hoc in theoremate terminus, æternum, in tali sensu improprio assumitur, sed ita ut §. 24. definitum, ut verus sensus sit: Deus potuit sine initio mundum creare. Sed ex hoc non sequitur, non dari differentiam inter eternitatem Dei & mundi, ut voluit in spho citato, quia hoc generale habent commune, de quo §. 25. & infra.

DEFINITIO XVI.

§. 61. Uti statum illum, qui mutationem quandam indicat, cuius ratio est in mutato (hoc mutatum etiam potest esse tantummodo relative tale, sc. in respectu ad passiva), sc. agente, vocamus τὸ activum; ita statum illum, qui mutationem quandam indicat, cuius ratio est extra mutatum sc. in activo, τὸ passivum.

POSTVLATVM.

§. 62. Quicunque igitur sibi vult concipere τὸ activum, debet simul sibi notionem formare de quadam mutatione, cuius ratio est in mutato sc. agente; & qui sibi vult τὸ passivum concipere, ut iterum sibi formet notionem de mutatione quadam, cuius ratio est extra mutatum sc. activo, est necessarium (§. 61.).

COROLLARIVM.

§. 63. Est igitur notio τὸ activi & τὸ passivi coniuncta cum notione de quadam mutatione (§. 62.).

THEOREMA VIII.

§. 64. τὸ activum & τὸ passivum sunt relata.

DEMONSTRATIO.

Dum per τὸ activum aliquid mutatur, de qua mutatione ratio est in agente sc. in τῷ activo (§. 61.) id quod per hoc mutatur, debet rationem mutationis suę habere

habere extra se (§. 1.), quod autem mutationem quan-
dam indicat cuius ratio est extra se sive extra mutatum,
est quod vocamus τὸ passivum (§. 61.); pariter cum τῷ
passivo etiam coniuncta est mutatio (§. 63.) cuius ratio
est extra se (§. 62.), id autem, quod rationem mutationis
τῷ passivi in se continet est τὸ activum (§. 61.). E.
ut τὸ passivum rationem mutationis suę, sive cur sit pas-
sivum, teneat in activo, & activum rationem, cur sit
activum in passivo, necessarium est consequens (quod
etiam ex terminis patet). E. τὸ activum & τὸ passivum
sunt relata (§. 18.).

SCHOLION.

§. 65. Ut hoc theorema clarius nobis valeamus repre-
sentare, ponamus e. g. quandam Triangulum constituentem, & Tri-
angulum constitutum, antequam autem rem explicemus, brevita-
tis gratia, Triangulum constituenti nomen C. & Triangulo consti-
tuto nomen imponamus T. C igitur T constituendo, mutationem
quandam effecit ex non-existente triangulo existentem faciendo.
Ratio autem huius mutationis non potest inveniri in T, quia T se
ipsum non constituit, sed in C, dum ex C valemus cognoscere, cur
hic Triangulus existat ita nec aliter. Quia igitur ratio mutationis
τῷ T est extra T in τῷ C, C dicitur hoc respectu in statu activo,
& T in statu passivo. Ratio autem cur C sit hoc in respectu in statu
activo, est in T, si enim T non constituisset, non possit vivere re-
spectu huius in statu activo, qui a remota causa removetur effectus.
Et ratio, cur T sit in statu passivo, est in C; si enim C non con-
stituisset T, T non potuisset existere, ut a C constitutum.

COROLLARIVM

§. 66. Posito igitur τῷ activo, ponendum etiam es-
τὸ passivum, & posito τῷ passivo, ponendum etiam es-
τὸ activum (§. 19. 64.).

DEFI

DEFINITIO XVII.

§. 67. *Creari* dicitur, quando nihilom privativum tam ratione formæ quasim materiæ tale accipit existentiam; & si hoc fiat sine initio, tunc dicitur, *creari ab aeterno*:

COROLLARIVM I.

§. 68. In τῷ creare igitur est ratio mutationis sc. creati in agente sc. in creante (§. 43. i.), in τῷ creari autem est ratio mutationis sc. creati extra creatum (§. 67. i.).

COROLLARIVM II.

§. 69. τὸ creare per consequens recte activum quid, & τὸ creari passivum quid est vocandum (§. 61. 68.). Eposito τῷ posse creare ponendum etiam est τὸ posse creari (§. 66.).

THEOREMA IX.

§. 70. Mundus ab aeterno potuit a Deo creari.

DEMONSTRATIO.

Posito τῷ posse creare ponendum etiam est τὸ posse creari (§. 69.), si quis igitur ab aeterno aliquid possit creare, ut id, quod potuit ab aeterno creare, etiam ab aeterno possit creari, necessarium est (§. i.). Dum igitur Deo ab aeterno fuit potestas mundum creandi (§. 58.),

D

ut

ut mundus etiam ab æterno a Deo potuerit creari, necessarium est consequens.

COROLLARIVM I.

S. 71. Creatio igitur mundi ab æterno fuit possibilis (§. 70. & 1.).

SCHOLION I.

§. 72. Dum iam demonstratum, Deum posuisse mundum ab æterno creare, & mundum etiam posuisse ab æterno a Deo creari, minime intelligendum est, quod hoc affirmatum de hoc præsente mundo. Non enim determinavi, qualem mundum, Deus potuisset ab æterno creare, & qualis mundus a Deo ab æterno potuisset creari. Sed sensus est: Deo fuit facultas mundum aliquem ab æterno creandi, & aliquis mundus a Deo patuit ab æterno creari, & non necessary est, ut talis mundus sit hic præsens, potest enim etiam esse aliis mundus possibilis, quod saepe a contrasentientibus permiscitur. Si quis querat: an Deus nunc præsentem mundum ab æterno potuisset creare; an hic mundus præsens ab æterno potuisset creari; & an Deus illum actu ab æterno creaverit? tunc statim distingo inter principia rationis & revelationis respondens: ex solis principiis rationis, non potest determinari, an Deus hanc mundum in tempore utrum ab æterno creaverit; deficientibus enim principiis decisio ex principiis rationis in hoc permittitur, quod Deus præsentum mundum potuerit creare ab æterno, ac in tempore, quid autem factum; non potest apodictice determinari. Sunt quidem aliqui, qui ex solis rationis principiis probare contendunt quod Deus præsentem mundum creaverit in tempore, ab impossibilitate æterne creationis ad creationem in tempore concludentes. Talem concludendi modum. PHILIPPI l. c. adhibet. Ast possibilitate creationis æternae in superioribus demonstrata, talis argumentatio abiit in ventos. Ad argumenta autem ab CELEB. JOACH. LANGO, in causa Dei, aliisque suis scriptis contra Philosophiam CELEB. WOLFFII, pariter ac in scripto sub. Tit. Mosaïsches Licht und Recht allata, quibus existentiam mundi in tempore factum ex principiis rationis probare conatus est, in genere verbis THOMAE AQVINAЕ potest responderi, ita sese habentibus: Caveant,

veant, qui demonstrare, (*sc. existentiam mundi in tempore factam ex solis principiis rationis*) contendunt, ne afferant rationes, quæ dent occasionem ridendi. *Quod autem ad principia revelationis attinet, potest ex illis apodictice demonstrari impossibilitas creationis huius mundi presentis ab æterno.* *Quia enim essentiae rerum sunt immutabiles, & ex revelatione cognoscimus, quod hic mundus in tempore sit creatus, a posteriori deprehendimus, ad huius mundi essentiam etiam pertinere existentia in tempore facta.* *E. hic mundus non potuit ab æterno creari; ab hoc mundo autem ad omnes mundos possibles non valet consequentia.*

SCHOLION II.

§. 73. *Si quis contra creationis mundi ab æterno possibilitatem velit obiicere canonem: causa prior debet esse causato.* *E. Deus tanquam causa mundi prior debet esse causato sc. mundo.* *Ad talem objectionem distinguendo respondetur, inter prioritatem ratione ordinis sive naturæ & ratione temporis.* *Verum quidem est, quod causâ prior debeat esse causato ordine non semper tempore;* *& sic Deus etiam prior esset mundo, si sc. mundus ab æterno creatus, non tempore sed ordine,* *& ita potest, salvo manente canone possibilis mundi æternitas affirmari ac defendi.* *Reiicit quidem PHILIPPI l. c. p. 60.* *talem huius canonis limitationem in applicatione ad possibilem mundi æternitatem, restringens tantummodo ad ea, quæ ex essentia entis cuiusdam fluunt necessario.* *Sed talis restrictio sine omni probatione adiecta maxima cum ratione est reiicienda;* *contrarium enim in ipsa rerum natura & rebus naturalibus adspicimus.* *Illuminatio est causatum a flamma tanquam causa eius dependens, flamma autem est prior illuminatione non tempore sed tantummodo ordine sive natura;* *quod autem illuminatio esset effluxus ex essentia flammæ, nemo affirmando est tecurus;* *si enim sit effluxus ex essentia flammæ, flamma sine illuminatione non possit concipi,* *si autem animo concipiamus flammam omnibus obiectis, quæ possunt illuminari, remotis, flamma vera tamen manebit flamma, licet non adest illuminatio.* *E. non potest illuminatio esse effluxum ex essentia flammæ.*

SCHOLION III.

§. 74. *In hisce omnibus, si auctoritate magis quam rationibus*

D 2

quis

quis moveatur, etiam magna nomina mecum faciunt. Is itaque consulat. B. BUDDEVM in Elementis Philos. Theor. p. 318. & in Histor. Ecclesiast. N. Test. p. 60. (Notandum hic est, quod Buddeus ipse statuat possibilem mundi aeternitatem, & tamen postea in scripto sub Tit. Bedencken über die Wolffische Philosophie contra CELEB. WOLF-FIVM hanc statuentem sit emulatus). BVRMANNVM in Synops. Theol. Lib. Lib. I. Loc. com. 42. §. 24. p. 278. SCHEIBLERVM in Metaphys. HILDEBRANDVM in Artic. de Creatione §. 13. 4. DAN-HAVERVM in Hodosoph. p. 277. not. 22. JOH. ADAM. OSIAN-DRVM in Collegio Systematico Loc. de Creatione Thes III. GEORG CALIXTVM in Epitome Theol. Disp. III. §. 7. HEINRICVM WIDE-BVRGIVM in System. Theol. Cap. 7. p. 197. THOMAM. GOVTIE-RVM in Theol. Didactica p. 109. edit. 1701. JAQVELOT en Disserta-tions sur l' existence de Dieu (ille expresse indicat, quod omnes Phi-losophi, Epicuri a seclis exceptis, crediderint aeternitatem mundi), VELTHEMIVM in Metaph. Part. I. c. IX. p. 572. & alios. Vereor ut contrarium statuentes certissimo Dei verbo contradicant, dum ipse David Ps. XXXIII. 9. haec, quae demonstravimus, statis confirmare videatur, ita ex inspiratione divina loquens בַּיִת הָוֹא אֵמֶר רְבִיחֵי Quis enim in dubium vocaverit, ne Deus ab aeterno precipere atque dicere potuisset? aut si hoc concedatur. Quis efficaciam dicti atque precepti Dei ab aeterno sine successione temporis-que prioritate sit negaturus?

COROLLARIVM II.

§. 75. Quia id quod a Deo potest creari, creatu-ra dicitur, ut Mundos sit creatura, necessarium est (§. 70.). Dom autem mundus ab aeterno potuerit exi-stere (§. 71.). Creatoram esse, & tamen ab aeterno es-se, est aliquid possibile (per mod. dicta). Pariter, quia muudus est ens contingens (§. 55.), & per consequens ens dependens (per princip. Cosmol.), contingens sive dependens esse, & tamen ab aeterno esse sibi non re-pugnat (§. 70. 71.).

SCHOLION I.

§. 76. In præcedenti ſpho omnia principia æternitatem mundi
poſſibilem negantium ſunt reiecta, ex quibus imposſibilitatem eam vi-
dentur concludere. Aliqui enim obiiciunt: Creaturam eſſe, & ta-
men ab aeterno ſive aeternum eſſe, eſt apertiffima & maniſta con-
tradiccio. Aſt in tota Demonſtratione, quam pro hac theſi adiici-
unt, eſt vitioſiſimus in demonſtrando circulus. Si enim probent, cur
adſit contradicſio inter creaturam eſſe & aeternum eſſe; hanc allegant
rationem, quia creatura debet habere initium exiſtentiae, quod mini-
me aeternum. Si autem probanda, cur, ut creatura habeat initium
exiſtentiae, ſit neceſſarium, allegant, quia creaturam eſſe & aeternum
eſſe ſit contradictorium. Eſtne hic circulus? Non autem pro-
pter circulum ſolum hoc aſſertum non valeat, ſed etiam quia in ſpho
75. apertiffime contrarium eſt demonſtratum. Alii ut propugnacu-
luri poſſibili mundi æternitati opponere videntur: contingens eſſe &
tamen ab aeterno ſive aeternum eſſe, eſt contradictorium quid. Aſt
cupias aliquid habere quod contingenti contradictorie oppoſitum? eſt
hoc id, quod dicimus abſolute neceſſarium, non quod aeternum. Si
quis enim noſtiones de contingenti & aeterno ſupra datas ſit compa-
raturus, inter illas ad eſſe contradicſio, non facile ad credendum in-
ducitur. Praeterea ſpho 75. conſiderato contradicſio illa ſtatim
perent.

SCHOLION II.

§. 77. Inter alios etiam PHILIPPI l. c. poſſibilitati æternita-
tis mundi totam comparavit demonſtrationem ad reſtendum. Quia
igitur hac in Diſſertatione poſſibilitatem æternitatis mundi mathema-
tice demonſtravi, & PHILIPPI l. c. contrarium mathematice de-
monſtrare videtur; duae autem contradictorie oppoſitae demonſtra-
tiones non ſimul poſſunt eſſe verae, quaerendum eſt: quaenam demonſtra-
tio ſit vera, quaenam non? De mea Demonſtratione aliorum ſc.
fanorum ſit iudicium; de Demonſtratione PHILIPPI veriſiſime ſum iu-
dicaturus, quod non ſit Demonſtratio genuina nec Mathematica, ſal-
tem qua materiale ſi non qua formale. Ad materiale enim Method.
Demonſtrativaſ ſive Mathematicae etiam pertinet, ut principia pri-
ma ſint indubia. Principium autem PHILIPPI, ex quo poſtea impos-
ſibilitatem mundi æternitatis concludere cupit, non eſt principium
indubium

indubium sed maxime dubium, & non recte & apodictice demonstratum, ita, ut etiam in nostra Dissertatione contrarium esse demonstratum videatur. Quod autem principium eius principale sit maxime dubium ex &pho sequenti satis clare potest cognosci.

SCHOLION III.

S. 78. Principale principium ex quo PHILIPPI impossibilitatem creationis mundi aeternae derivare studet, est quod &pho 23. allegavit; sc. quod omne aeternum debeat esse absolute necessarium. Ut falsitatem eius clarius possimus perspicere, primo ostensurus sum falsitatem Demonstrationis huius theorematis, & postea falsitatem ipsius theorematis. Quod ad Demonstrationem, multa in illa accepit, ex quibus demonstratum, quae non sunt antea demonstrata, immo apertissime falsa e. g. ens dicitur absolute necessario existere, quod est aeternum; hic autem deest probatio, & non dicitur, ens absolute necessario existere quia est aeternum, sed quia habet rationem existentiae suae in essentia sua, & minime ratio est querenda in aeternitate, quod clarius patebit, si etiam ipsius theorematis falsitatem sim allegaturus, quae ex sequentibus erit clara, dum ita concludo: si omnia quae aeterna existant absolute necessario, sequitur, quod aeternitas in se debeat rationem babere, cur sit absolute necessarium. Quis autem hoc ex notione de aeternitate potest deducere. Et posito hoc esse verum, mihi etiam venia est data, ita concludendi: ab aeterno est verum, quod homo sit peccator, E. veritas haec est absolute necessaria; quia autem absolute necessarium est, quod aliter esse nequit, non aliter esse potuit, quam ut homo sit peccator. E. peccata non dependent a voluntate hominis sed sunt absolute necessaria. Quales porro conclusiones possint ex hoc principio dirivari? principia quae summa iustitiae, sanctitati, bonitati immo toti essentiae divine repugnant, E. est falsum. Hoc quidem sequitur, quicquid est absolute necessarium, id est aeternum, sed non vice versa. Quia igitur hoc est principale principium totius sue Demonstrationis, reiecto hoc, tota sua demonstratio est reiicienda & reiicitur.

SCHOLION IV.

§. 79. Ut ultimum refugium plurimorum aeternitatem mundi possibilem negantium est: quod sit scaturigo & fons Atheistica; ita quoque PHILIPPI p. 72. l. c. concludit. Ast si affirmetur, quod mundus possit esse ab aeterno, mundus nihilominus manet & manebit ens contingens, & si mundus maneat contingens, etiam ab contingentia mundi ab aeterno existentis potest concludi ad existentiam Dei. Et quia argumentum ab contingentia mundi desumptum est sufficien-
tissimum ad existentiam Dei ex ratione demonstrandam; ex ratione autem apodictice non potest demonstrari, quod mundus sit creatus in tempore; quomodo PHILIPPI & affectae eius possunt contra Atheos existentiam Dei demonstrare, ita, ut firmisse convincantur? Pluribus vide Refutationes obiectionum contradicentium CELEB. WOLF-
FIVM in Commentatione Luculenta p. 56. in Monito ad Commentat.
p. 4. In der Anmerckung über Buddei Bedencken p. 56. 57. in der næthigen Zugabe p. 20 seqq. CELEB. BÜLFINGERI in Dilucid.
p. 187 seqq. & aliorum.

COROLLARIUM III.

§. 80. Dum Deus in Duratione sua est sine successionebus (per Theol. Nat.), & mundus cum successionebus (§. 5.), sequitur; si mundus esset ab aeterno, nihilominus Differentiam inter aeternitatem Dei & mundi esse apertam. Ut enim Deo esset aeternitas fixa & mundo successiva, est necessarium consequens (§. 24.).

SCHOLION.

§. 81. Cum Differentiam inter aeternitatem Dei, & mundi, (sc. si esset ab aeterno), determinaverim, minime est sensus: mundum, si esset ab aeterno, non existere sine initio, & Deum existere sine initio. Sed tam Deus quam mundus (sc. sub tati conditione ut existat

existat ab æterno) ut existant sine initio, necesse est. Attamen species æternitatis respectu mundi a specie æternitatis respectu Dei differetur. Confer. CELEB. WOLFIVM in den vernünftigen Gedanken von Gott der Welt und der Seele dess Menschen §. 1075. Etiamnum est quod PHILIPPI p. 15. l. c. Et alii afferunt: quod tantum unico modo æternitas sit possibilis. Nam quia genus potest dividi in suas species, Et quia omnes species debent commune habere, quod in genere suo continetur; quis inde potest concludere? E. non datur Differentia inter species; Et quia non de una specie potest prædicari quod de altera. E. terminus generis illarum est ambigiuus; confer. §. 25. Diff. nost. Salva igitur manet POSSIBILITAS MUNDI CREATIONIS AB AETERNO, & salva æternitate Dei permanebit usque ad omnium

F I N E M.

